

exornant, quam praeclarissima per universum orbem de Ecclesia Dei merita illustrant semperque S. Sedi commendatissimam reddiderunt? Nec inter postrema habentur in Sinensi parta imperio, nisi a lividis oculis conspiciantur. Proh, quantum triumpharet orcus, effectum si nanciscantur, quae in 4^o et 5^o articulis contra Societatem statuuntur! quantum laetarentur haereses masticem suam constringi et impotentem reddi! quantum hypocritae¹ applauderent, qui venenosi dogmatis sui sementem non una satione iam huc usque proseminarunt, ut sectae suae sequaces subnascantur!

Haec quanto cordolio, quanta maerentis animae compunctione conscribamus, testis est Iesus, cuius militiam sequimur, cuius nomine insignimur, cuius fidem gentibus annuntiamus. Submissionem erga S. Sedem publice profitemur, eius decreta venerabunde suscepimus, iuravimus oboedientiam profuso etiam sanguine testaturi; executionis partem, quae a nobis est, explemus, humiliter deprecamur culpam, qualiscumque vel nos, vel quemcumque nostrum maculare credatur. Si haec non sufficiunt, quid ultra exposcimus? ut tamquam purgamenta mundi huius et omnium peripsema substernarum conculcantibus nos? Neque hoc abnuimus, dummodo glorificetur Christus in nobis, cui in cruce commori peroptamus, certi beatitudinis, quam iustitiae causa persecutionem patientibus promisit.

Ut finiamus demum lacrimosam epistolam, ad P. V. A. R^{dam} convertimur, quam nostri causa tam diuturnis moeroribus conflictari iustissime indolemus, utque non tam super nos quam super vineam Sinensis ecclesiae ingemiscat, demisse hortamur: ecce inter sacrum et saxum quam vere, tam lamentabiliter constitutam! Novus Imperator operarios evangelii in exilium amandat: sed et ex Urbe alii subsidio mitti prohibentur, alii iubentur remitti aut a sacro opere vacare. Atque sic quasi caelum et infernus, boni simul et mali angeli contra illam conspirasse videntur. Magnitudo doloris plura non permittit. Originem utriusque calamitatis attribuentes peccatis nostris, in spiritu paenitentiae ingemiscamus: Pater, peccavimus in caelum, et coram te, fac, quaesumus, humillima apud Sanctissimum deprecatione, ut residuam hic scintillam, quam in indignis filiis tuis extinguere tantopere satagit inimicus, misericorditer et paterne in spem futuram huius vineae conservet. Id ipsum per communia suffragia Societatis obtineri etiam atque etiam precamur ».

¶ Pekini 28 Octobris 1724. — Adm. R. P. V^{as} minimi in Christo filii:

Embertus Xaverius Fridelli Collegii Pekinensis Rector m. pp. —
Iosephus Suarez S. J. m. pp. — Carolus Slavicek S. J. m. pp. —
Ignatius Kogler S. J. m. pp. — Andreas Pereyra S. J. m. pp. —
Aloysius Fan S. J. m. pp. ».

S u m m a r i u m (cfr. sopra p. 560 n. 4 § 8).

¹ I Glansenisti.